

debere. Vide *Calovii Biblia Illustrata ad b. l.* Deinde advocamus in subsidium *caput XVIII. hujus Libri prioris Samuelis versic. 14.* ubi perhibetur expressè id, quod jam asserendum putamus, Spiritum videlicet Sanctum, non donum modò aliquod regium, à Saule recessisse. Dicitur enim *metuisse Davidem, eò, quod Jehova esset cum illo, & à se recessisset.* Ille itaque Jehova recessit à Saule, qui cum Davide tum erat. At quinam is fuisse censendus est? Num solùm Spiritus consilii, Prudentiæ, & Fortitudinis? Ægrè hoc crediderim, quin statuo potius, Spiritum regenerationis ac sanctitatis cum eo fuisse, & exinde elici, quod idem etiam à Saule recesserit. Conf. *B. D. Feurbornii Dissert. de Peccato in Spiritum S. c. XXI.* Eodem etiam sensu Davidem cum Saule confert *Chrysostomus Homil. de Davide & Goliatho: A Deo, inquit, David Sancto Spiritu inundatur, Saul verò Spiritu isto deseritur.*

§. VII. Ulteriùs ex oppositione Spiritùs mali à Domino ad hunc Domini Spiritum constare itidem dissentientibus poterat, quod non nisi Sanctus Dei Spiritus h. l. intelligendus sit. Etenim nusquam in Sacris literis dono prudenter regnandi, dono fortitudinis & consilii è Diametro Spiritum malum seu Diabolum opponi existimamus. Diabolum autem fuisse, qui post boni Spiritùs recessum Saulem valdè turbavit, ex mox dicendis clarum fiet. Jam verò Spiritui Sancto, velut Autori omnis sanctitatis, Spiritum nequam malitiæq; omnis promachum opponi, id sanè nec infreqvens nec incongruum est. Conf. iterum *B. Calovii Bibl. Illustr. ad b. l.*

§. VIII. Denique Saulem id amisisse in præsentia statuendum est, quod postea nunquam recuperavit. Num verò Spiritum Fortitudinis & consilii Prudentiæq; ita perdiderit, ut per totum vitæ suæ tempus reliquum imbellem, ignavum, atque inertem se gesserit, (prout *Cornelium à Lapide* asseren-

B

tem